

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Indvlgentia

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

quadregesimales. 2. Vt idem possint dispensare in Germania Superiori circa Ieiunia, cum ijs, qui ad Ieiunandum totam Quadragesimam in illis partibus adduci non possunt. Sed id fieri voluit cum prudenti iudicio & alicuius boni occasione aut proposito, ne dispensatio in dissipationem conuertatur, & vt habeatur Consensus Ordinarij, seu Pralati, vel ipsius Vicarij, saltem semel pro semper.

Vide plura V. Constitutio. Et V. Dispensare.

## INDVLGENTIA.

220. Indulgentia Regularibus concessa à Paulo 5.  
 221. Indulgentia Stationum vrbis.  
 222. Indulgentias superiores lucrari possunt extra conventus.  
 223. Indulgentia speciales.  
 224. Indulgentia ad signum Campana Salutationis Angelica.  
 225. Visitantium Ecclesias & oratoria Regularium.  
 226. Pro defunctis. 227. Altaris Privilegiati.  
 228. Breue Alexandri 7. 229. declaratum.  
 230. quoad locum. 231. Tempus.  
 232. Opus iniunctum. 233. Celebrantem.  
 234. Litera filiationis, quoad Communicacionem

X5

sine

tionem bonorum operum. 235. Indulgentiarum. 236. Benefactoribus.

CCXX.  
Indulgentia Regularium.

220. **P**Lurimas olim Indulgentias diuersis Ordinibus concessas fuisse notissimum est ex Compendijs Priuilegiorum Regularium, quas omnes tamen reuocauit, annullauitque Paulus 5. in Bulla: Romanus. An: 1606. die 23. Maij. decreuitque quod loco illarum ibi reuocatarum, omnes & singuli Religiosi, vtriusque sexûs, quorumcunque Ordinum gauderent solis Indulgentiis in eadem Bulla expressis, quæ sunt sequentes.

1. Indulgentia plenaria cuique fidei Christiano suscipienti habitum approbatæ Religionis, cum animo profitendi, si suscipiat cõfessus & sacrâ Cõmunione refectus.
2. Indulgentia plenaria cuius Nouitio profitenti, si sit confessus & sacrâ Cõmunione refectus.
3. Quiuis Religiosus degens intrâ Clausuram in festo Principali sui Ordinis confessus & sacrâ Cõmunione refectus, vel Missam celebrans, rogans deuotè pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione Ecclesiæ, & salute S. Pontificis, lucratur Indulgentiam plenariam. Festum autem principale ordinis videtur festum Fundatoris Ordinis canonizati,

nonizati, vel illud, quod apud illos fuerit declaratum pro principali.

4. Quiuis Religiosus in articulo mortis verè pœnitens, confessus & communicatus, & si hoc fieri nequeat, contritus, pronuncians & invocans ore, vel si ore non possit, mente nomen IESV, lucratur Indulgentiam plenariam.

5. Indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum cuiuis Religioso, qui per decem dies segregatus à negotij, se collegerit ad aliquod cubiculum, vel se segregauerit à conversatione aliorum, ibique intenderit lectioni librorum Spirituallium & cæterorum ad deuotionem excitantium. Et considerauerit sæpè Mysteria fidei, diuina beneficia, quatuor Nouissima, Passionem Domini: similiaque exercitia spiritualia fecerit: & simul fecerit intrâ idem tempus Confessionem generalem totius vitæ, vel anni, vel ordinariam, & Eucharistiam sacrosanctam receperit vel celebrauerit. Et hæc omnia toties quoties fecerit, lucratur Indulgentiam plenar.

6. Sacerdos Religiosus Primam suam Missam celebrans, & Religiosi confelli & S. Cõmunionem muniti eam audientes, lucrantur Indulgentiam plenariam.

7. Quiuis Religiosus viuens in Clau-  
sura,

sura, visitans suam propriam Ecclesiam, & orans in illa deuotè pro supradictis in 3.<sup>a</sup> Indulgentia, lucratur omnes Indulgentias concessas visitantibus Ecclesias, intra vel extrà muros Romæ in die Stationum, ac si ipse illas visitaret.

8. Quis Religiosus viuens in Clausura, dicens quinquies Pater Noster & Ave Maria, coram Altari suæ Ecclesiæ singulis diebus, lucratur quinque annos Indulg. & quinque quarantenas.

9. Eandem Indulgentiam lucratur, qui de licentia Superiorum iter facit, vel est extrà clausuram, sicut Lectores & Prædicatores, si proximè dictum faciant coram altari alienius Ecclesiæ.

10. Religiosi, qui per spacium mensis vnus, singulis diebus habuerint mediam horam orationis mentalis, & confessi receperint Eucharistiam in vltima Dominica eiusdem mensis, lucrantur 60. annos Indulg. & totidem quarantenas.

11. Qui in Capitulis accusauerint suas culpas, imperfectiones, & peccata contriti & communicati, & habuerint exercitia virtutum, lucrantur 3. annos Indulg. & totidem quarantenas.

12. Religiosus missus à Papa, vel legitimo Superiore ad terras Infidelium, vel

hære-

hæreticorum, prædicandi gratiâ, vel ad docendum ibi Catholicos, vel hæreticos convertendos, vel Infideles reducendos; si ad prædictum finem fuerit confessus, & S. Communionè refectus, lucratur Indulg. plenar. per duas vices distinctas. 1. quando recipit prædicta Sacramèta ad illum finem. 2. quando ingreditur prædictam Prouinciam ad quam mittitur.

13. Quando Superior in Visitatione generali, pro meliori successu visitationis voluerit instituere solitas 40 horas orationis, singuli Religiosi, qui durante spacio prædictarum 40. horarum, ad minus habuerint duas horas orationis, diversis etiam temporibus, per interualla rogando devotè pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione fidei, salute Papæ, & augmento regularis disciplinae, confessi & S. Communionè refecti, lucratur Indulgent. plenar. & remissionem peccatorum.

221. Inter has Indulgentias, quæ numero septima est, specialem notam ac difficultatè habet, vt merito hic vsurpare liceat dicti Collectoris Priuileg. Mendic. Indulg. stat. n. 15. Hæc concessio est melior & latior reliquis omnibus præcedentibus (adde & subsequentibus) in hac materia, si tamen in ipsa  
speca-

CCXXI.  
Stat. n. 15.  
Gerbis.

*Specificatio facta est de Indulgentiis plenariis*  
 Sic ille, qui scrupulum hunc primus vide-  
 tur inieciſſe in ſuis notis *ad Stationes Verſ. Ad-  
 uertendum*. Vbi ſecundùm ſtylum Curie  
 Romanz, & Regulam expreſſam Cancel-  
 lariæ Apoſtolicæ ait neceſſarium eſſe, vt in  
 conſeſſione Indulgentiarum exprimentur  
 plenariæ, quòd ſi non fiat, intelligi ſolùm  
 ſtationes & Indulgentias nõ plenarias, imò  
 non ampliùs quàm ſeptem annos, prout B.  
 Gregorius conſeſſit, & multò minus Indul-  
 gentias liberationis animarum à Purgato-  
 rio, niſi ſpecificentur in Bullis. Collecto-  
 rem ſequuntur Soar. *ro. 4. p. 3. diſp. 52. ſec. 8.*  
*n. 12. Et Molſes. p. 1. ſum. tr. 7. c. 26. n. 92.*  
 Contra quos Peyrin. *ad præſentem Conſtitu-  
 tionis Pauli 5. ibi n. 8. in ſchol. n. 8. tenet*, in præ-  
 dictis diebus ſtationum, Regulares lucrari  
 Indulgentias etiam plenarias; tum quia di-  
 ctio, *Perinde* (quã Pontifex vtitur) omnem  
 ſimilitudinem importat *ex Tuſc. V. Diſtio.*  
*conc. 375. n. 13.* tum quia cùm conſtet de po-  
 teſtate concedentis & ſolùm dubitetur de  
 voluntate, latè eſt interpretanda; tum quia  
 ſic intellexiſſe videtur communis Religio-  
 ſorum ſenſus. Lezana *V. Indulgentia. n. 21.*  
 vtroſque referens, hoc vocat probabile, il-  
 lud verò probabilius. Sententiam Peyrini  
 probabiliffimam ego iudico; vt quid enim  
 Ponti-

Pontifex dicit hæc verba tam expressa: Quod Religiosi intrâ claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur, orauerint, consequantur easdem Indulgentias in omnibus diebus, perinde ac si personaliter visitarent. Nota verba: easdem Indulgentias, &c. perinde ac si personaliter visitarent. Certè si personaliter visitarent, lucrarentur omninò easdem, non solùm non plenarias, verùm etiam plenarias. Deindè voluit Pontifex in ista Constit. singulare aliquod spirituale solatium & iuuamen offerre Regularibus, largiendo Indulgentias certas, cum priùs circa easdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adese comperisset. Ita enim habet Bulla; Quale autem solatium dedisset Regularibus, si plenaria stationū sustulisset, tam expressè, à tot antè Pontificibus, tamq; authenticè, non solum vivæ vocis oraculo, sed etiam Bullâ concessas, à Sixto 4. Innoc. 8. Iul. 2. Leon. 10. & nouissimè Pio 5. pro *Societate IESV. De quibus in Comp. Priu. Mendic. V. Indulgentia stat. n. 3. 9. 10. 15. 17. & in annot. P. Sorbo ibid. circa finem.* Ex quibus demùm Compendium Societatis IESV V. *Indulgentia. §. 11.* ita summarie pronunciat: *Omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias, qua sunt Romæ in singulis Ecclesijs quocun-*  
que



que tempore & die, eodem tempore & die, possunt nostri in nostris Ecclesijs lucrari. Pro quo merito singulatim allegatur Sixtus 4. qui cit. n. 3 sic expressè concessit FF. Minoribus, Clatissis & vtriusque sexûs Tertiarijs, omnes, inquiens, alias Indulgentias generales, tam plenarias, quàm non plenarias almae Urbis, dicendo quinque Pater noster cum totidem Ave Maria, in suis Ecclesijs, ac si visitarent loca personaliter, vbi sunt ista Indulgentia diebus suis. Id quidem eo loco per oraculum minus authenticum, sed postmodum, n. 17. per Bullam authenticam concessit PP. Carthusiensibus dicentibus antè quodlibet altare suatum Ecclesiarum psalmum, Miserere, seu si illiterati forent, septem orationes Dominicas cum totidem Angelicis salutationibus. Vide Rodriq. qui to. 2. qq. Regul. q. 87. a. 11. Circa concessionem, ait (Sixti 4.) notat Collector Compendij Cistercij, quod attentà eius literà & specificà formà Indulgentiarum, iam cessat illa dubitatio, an Monachi plenarias Indulgentias stationum Urbis lucrifaciant, de qua agit Collector Priuil. & Navar. Sed utcumque sese habeant illa oracula, quandoquidem Paulus 5. Indulgentias stationum in hac sua Bulla confirmavit, non minori favore & affectu ergà Regulares Ordines, quàm e-

iusdem

iusdem Antecessores, non video, quid nos  
mouere debeat, restringendam benigni  
Pontificis liberalitatem ad non plenarias.  
Ut omittam dicere, quod ad huiusmodi  
plenam Indulgentiarum concessionem mo-  
tus videatur, tum ne Religiosi deterioris es-  
sent conditionis, quam Sæculares, tum ne  
iusdem Religiosis prætextu Indulgentiarum  
urbis, extrâ suos Conuentus vagandi dare-  
tur occasio, cuiusmodi seu vagationem, seu  
Peregrinationem meritò reprehendit D.  
Thom. qui propterea in *suppl. 3. p. q. 27. ad 2.*  
aduertit *Religiosos existentes in suis Monasterijs*  
*promereri amplius, quàm discurrendo aut pere-*  
*grinando ad lucrandum Indulgentias.*

Regulam Cancellariæ, quæ in contra-  
rium potissimum producitur, dictis nõ ob-  
stare, manifestè cognosceret, qui eã vnã cum  
Glossematè inspexerit apud *Chock de Reg.*  
*Cancellaria. n. 58. Innoc. 8. Pauli verò 5. n. 53.*  
Ratio enim affertur, quia cum Ecclesia vnã  
conceduntur Indulgentia ad instar alterius Ec-  
clesiæ, posset in his Pontifex decipi, nisi specificè  
& specialiter exprimerentur ea, ad quorũ formã  
fit concessio, sed in calu præsentis nullum est  
periculũ erroris aut deceptionis, cum Ponti-  
fex stationũ habeat indubitatã notitiã. Esto  
antem notitiã hanc non haberet Papa, peccat  
hanc tamen Regulam manus illi nullatenus

Y

nus

nus ligatæ sunt, quin possit etiam contra expressam Regulam expeditionem iubere. Quando enim Princeps facit mentionem alterius instrumenti, vel alterius privilegij, perindè erit ac si totum illud insereretur ibi. *c. Si Romanorum. §. Item si ideo. Et. Gl. ibi. 19. dist.* & sic valet de jure, etiamsi fiat mentio in genere de illo, vt inquit ibi Glossator, qui propterea credit Cameram sic per prædicta jura expedituram; & reuerà sic expediti, quotidiana monstrat experientia, quâdd in dies diuersis Ecclesijs conceduntur Indulgentiæ visitantibus septem Altaria, ac si septem Ecclesias vrbis aut Altaria Basilicæ Principis Apostolorum inuiserent, absque specifica narratione illarum indulgentiarum, prout in hac ipsa quoq; Bulla Pauli 5. de qua nunc res est, nulla fit expressa seu specialis relatio Indulgentiarum Stationum vrbis. Denique Regula præfata concernit expeditionem litterarum, & non annullat, vt ait Gl. *ibi.* hoc est, vetat expediti, si autem expeditur, earum valorem non infringit, aliàs certè nullæ omnind essent, quatum modò memini, Indulgentiæ septem Altarium & à Paulo 5. Regularibus concessæ. *Vide de his insuper dicenda inferius de communicatione Indulgentiarum. V. Privilegium. n. 412.*

Prædictio

Prædictis adde, quod teste P. Chas. de Priuil. Reg. 17. 1. c. 2. in fine. idem Paulus 5. qui præallegatam Bullam edidit An: 1606. postmodum Indulgentias FF. Ordinis Min. concessas confirmauit aliâ Bullâ sub dato 2. Nou. 1609. confirmando cum Priuilegiis Spiritualia indulta; quæ indulta comprehendere indulgentias declarauit idem Pontifex die 4. Maij 1610. Refert etiam P. Antonius Maria in suo fascic. Indulg. præter dictum Paulum 5. etiam Greg. 15. & tandem Urban. 8. An. 1623. confirmasse omnes indulgentias & gratias per suos prædecessores Ordini SS. Trinitatis (& per communicationem etiam Minoribus, & speciatim Capucinis. P. Sorbo. in Comp. Priu. Mend. ad V. Indulgentia quoad fratres. S. de FF. Camaldul.) concessas, in qua confirmatione etiam continentur Indulgentiæ Stationum Urbis & Orbis, quæ sunt absque numero: Romæ quidem ad minus quotidie in tribus locis plenarias Indulgentias haberi testatur præfatus fasciculi auctor in dubiis, & Rodriq. t. 2. qq. Reg. q. 58. a. 2.

222. Supradictas Indulgentias omnes iuxta Constit. Pauli 5. & eiusdem Declarationem oretenus factam, teste Peyr. in illam Constit. n. 1. & 2. lucrari possunt Religiosi, tam intra claustra, quàm extra, cum licentiâ ta-

CCXXII.  
Vbi lu-  
cranda.

men suorum Superiorum, existentes, visitando altaria Ecclesiarum illorum locorū, in quibus commorantur, siue per modum itineris, siue per modum statūs. Infirmi autem & decrepiti, qui non possunt Ecclesiam adire, possunt eas consequi in lectulo suo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio Confessarij.

Rodriq. 10. 2. qq. Reg. q. 84. a. 4. refert Indultum Leon. 10. quo concessit FF. Minoribus Regul. Obseru. ac Monialibus S. Claræ & Tertij Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noster, cum Ave Maria, & in fine cuiuslibet Gloria Patri, lucrentur stationes, Indulgentias, & remissiones tam Urbis, quàm etiam Portiunculæ, siue Hierusalem, ac S. Iacobi in Compostella, & quod, quâcunq; horâ diei vel noctis & quocunq; loco dicant, scilicet, Choro, Ecclesia, Claustro, Oratorio ac Cella lucrentur illas. Easdem, subdit, ex concessione Pauli 3. lucrari posse recitando prædicta sex Patres noster & Ave Maria, cum Gloria Patri, non solum in Choro, Oratorio, ac Claustro, siue in Cella, vt concesserat Leo 10. sed in quocunq; alio loco recitentur, sine vlla restrictione. Possent easdem applicari pro Defunctis, tradit *ibid.* q. 96. a. 8. Insuper advertendum, inquit, quod recitantes Ps. Miserere

ferere mei, aut qui nescit, quinque Pater noster  
& Ave Maria, flexis genibus in Ecclesijs nostris  
principalibus seu annexis, consequuntur Indul-  
gentias & Urbis & Orbis. Ita concessum est Or-  
dini S. Benedicti, & confirmauerunt Innoc. 8.  
& Alexander 6. Iul. 2. dummodò pro eorū ani-  
mabus dicatur Oratio, Deus qui inter Apostoli-  
cos. Habetur hæc Indulgentia in libro eorum in  
Conuentu Vallis oleti, & hæc concessio cum ma-  
xima sit, potest etiam pro Defunctis applicari  
per dictam Bullam Sixti 5. Hucusque Rodriq.

Dum hæc scribo, venit ad meas manus  
libellus precationum editus Anno superio-  
ri 1661. cū approbatione Facultatis Theo-  
logicæ in Vniuersitate Salisburgensi, in quo  
habetur quædam precatiuncula hic meritò  
inserenda, ob deuotionem erga purissimam  
Orbis Imperatricem (quidquid sit de In-  
dulgentijs, de quarū valore nō sine ratione  
quis dubitet) quæ ita verbotenus sonat.

#### IVBILVS MARIANVS

Ad immaculatè Conceptam DEI Genitri-  
cem Mariam, Gloriosissimam Cœli Regi-  
nam, Virginem semper illibatam ho-  
minum Aduocatam.

Innocentius 8. concessit ad instantiam Elisabe-  
thæ Regina Hispaniarum, sequentem Salutatio-  
nem dicenti: toties, quoties Indulgentias  
plenarias.

Y 3

Aue

**A**ve Virgo gloriosa,  
 Stella Sole clarior:  
 Mater DEI gratiosa,  
 Fauro mellis dulcior;  
 Rubicunda plus quàm Rosa,  
 Lilio candidior;  
 Omnis Virtus te decorat,  
 Omnis Sanctus te honorat,  
 In Cælo sublimior. Amen.

CCXXIII,  
*Speciales.*

223. Post reuocationem generalem & concessionem prædictas, testatur Portel. V. *Indulgentia. n. 13.* quod idem Paulus s. concesserit Minoritis Indulgentiam Plenariam dicentibus coronam B. V. MARIÆ. Idem asserit Peyr. *ad suprad. Const. reuoc. n. 9.* de recitantibus coronam Domini 33. *Pater noster & 5. Ave Maria,* aut *Psalmos Pœnitentiales,* vel *Graduales,* aut *Officium Defunctorum;* vel si sunt infirmi vel senes decrepiti, dicentibus *Psalmum Miserere,* aut *Canticum B. V. M.* aut *Hymnum Ave Maris Stella.* Ex concessione Leon. 10 & Iulij 2. De corona Domini res difficultatem non habet, quòd quidem Indulgentia ista communis est Regularibus & Sæcularibus, ita quod alia PP. Camaldulensium, vel aliorum benedictione non sit opus, sicuti testatus nobis est M. R. N. P. Procurator Ordinis per litteras datas Roma 27. Maij 1651. De alijs minùs constat.

stat, quod sint oracula viæ vocis, de quibus  
tamen videro V. Priuilegium.

224. Pro recitantibus ter *Aue Maria*, CCXXIV.  
cum tribus illis antiphonis, *Angelus Domini*, &c. ad tria signa campanæ post solis oc-  
casum, concessam esse Indulgentiam ple-  
nariam ab Adriano 6. testatur (allegatis  
etiam alijs) Lezan. V. *Indulgentia. n. 20.* as-  
serens idem concessum à Paulo 3. nullâ fa-  
cili limitatione pulsationis vespertinæ. Alias  
etiam Indulgentias à Greg. 13. concessas  
esse orantibus pro Defunctis, dum eum in  
finem sit pulsatio, refert *ibid.* Quæ Indul-  
gentiæ cum datæ sint quibuscunque Chri-  
sti fidelibus absque intuitu Regularium, re-  
uocata non sunt quoad Regulares, qui per-  
indè ac alij fideles vti adhuc possunt, tam  
his, quàm quibuscunque alijs Indulgentijs  
Imaginum, locorum, &c. De his omnibus  
legatur P. Bassæ. *utroque romo. V. Indulgen-  
tia, presertim verò 2. n. 14.* vbi tradit, ad lu-  
crandum Indulgentias, ex probabili DD.  
aliquot sententia, non requiri actualem vo-  
luntatem, sed satis esse habitualem & inter-  
pretatiuam, & vt fiat in gratia. Item non  
requiri, vt opera pia iniuncta efficiantur  
potissimum propter consequendam Indul-  
gentiam, sed satis esse propter eum finem,  
executioni illa dari, licet alijs finis inten-  
datur



datur & quæ aut magis principaliter. 3. eum qui confessus est & communicauit quatuor ante diebus, & de nouo non peccauit mortaliter, posse vi dictæ confessionis & communionis obtinere indulgentiam postea concessam, quæ ad sui consecutionem item requirat confessionem & communionem, esto non direxerit dictam confessionem & communionem ad hanc Indulgentiam comparandam.

CCXXV.  
*Visitari-  
um Eccle-  
sias Regu-  
larium.*

225. Pro indulgentijs, quæ conceduntur Visitantibus nostras Ecclesias, sciendum est, easdem extendi etiam ad oratoria seu sacella, siue amouibilia, siue occulta sint, ex Breui Urban. 8. quod incipit: Cum sicut, die 13. Iulij 1639. quod in Conuentu Aræ Cæli obseruari scribit P. Franciscus de Torano. in Compend. Regul. rit. de Indulg. n. 4. Vid. V. Priuilegium. n. 412.

CCXXVI.  
*Pro defū-  
ctis.*

226. Indulgentias concessas Regularibus pro Defunctis, non esse reuocatas docet, post alios, Dian. p. 9. tr. 2. Res. 21. Ita declarasse Paulum 5. refert ex Peregr. Peyr. Vbi supra n. 5. Et sic modò possunt Regulares frui Priuilegio Leon. 10. concessò Congreg. S. Iustinæ, quo celebrantes tres Missas pro anima alicuius Consanguinei intrà tertium gradum super vno altari, per Superiorem in propria Ecclesia assignato, liberant

gant ipsius animam à pœnis Purgatorij, ac si celebrassent super altare S. Gregorij, aut S. Sebastiani Romæ. Item alio Clem. 8. quo, decedente aliquo fratre seu aliquo ex parentibus alicuius fratris, vel aliquo habente litteras fraternitatis, vel qui fratres ad hospitium recipiunt, possunt fratres Ordinis Mendic. ubi vna ex talibus Personis decesserit, Missam vnã celebrare pro anima dictæ Personæ defunctæ, quæ illam liberet à purgatorij pœnis.

227. Sæpatus Paulus 5 diploma e-  
didit An. 1608. die 9. Iun. relatum 10. 2. Annal.  
Capucin. quo conceduntur tria altaria priuilegiata in tribus Ecclesijs cuiuslibet Prouinciæ Capucinatorum ( ultra montes primùm, per extensionem verò ad alias Ecclesias Prouinciarum erectarum, & futuris temporibus erigendarum ) tam erectæ quàm in futurum erigendæ, per Superiores ordinis designanda, ad quæ quotiescunque Sacerdos aliquis eiusdem ordinis Missam Defunctorum pro anima cuiuscunque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrasset, celebrabit, anima de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur &c. Indultum hoc à Greg. 13. prius Ordini concessum, ipse Paulus 5. ampliando in perpetuum extendit; in contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus.

Ys

228.

CCXXVII.

Altaris  
Priuilegiat.

Aliud inq.  
super Gao.  
de V.  
Missæ.

CCXX-  
VIII.Breue  
Alex. 7.228. Aliud Breue superiori anno no-  
stra Prouinciæ collatum ita sonat.

Alexander PP. VII. Ad futuram rei me-  
moriæ. Omnium salutem paternâ charitate in-  
renti, sacra interdum loca Spiritualibus Indul-  
gentiarum muneribus decoramus, vt inde fide-  
lium Defunctorum anima D. N. IESV Christi,  
eiusque Sanctorum suffragia meritorum conse-  
qui, & illis adiuta ex purgatorij penis ad æter-  
nam salutem per Dei misericordiam perducere va-  
leant. Volentes igitur omnes & singulas Eccle-  
sias fratrum ordinis Minorum Sancti Francisci  
Capucinorum nuncupatarum in Prouincia Hel-  
uetiæ existentes, & in earum qualibet situm al-  
tare maius, simili ad præsens Priuilegio minime  
decoratum hoc speciali dono illustrare, dummo-  
dò in qualibet dictarum Ecclesiarum septem  
Missæ quotidiè celebrentur, auctoritate nobis à  
Domino traditâ, ac de Omnipotentis Dei miseri-  
cordia, Beatorumque Petri & Pauli Apostolorum  
eius auctoritate confisi, vt quandocunque  
Sacerdos aliquis dictarum Ecclesiarum dunta-  
xat, Missam Defunctorum, in die Commemora-  
tionis omnium fidelium defunctorum, & singu-  
lis diebus infra illius octauam, ac feriâ secundâ  
cuiuslibet hebdomadæ, pro anima cuiuscunque  
Christi fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta  
ab hac luce migrauerit, ad prædictum altare ce-  
lebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per mo-  
dum

*Quum suffragij Indulgentiam consequatur. Ita  
 ut eiusdem D. N. IESV Christi, Beatissimaque,  
 V. Mariae, ac Sanctorum omnium meritis sibi  
 suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur,  
 concedimus & indulgemus. In contrarium fa-  
 cientibus non obstantibus quibuscunque. Præ-  
 sentibus ad septennium tantum valituris. Volu-  
 mus autem quod presentium transumptis etiam  
 impressis manu alicuius Notarij publici subscrip-  
 tis, & sigillo personam in dignitate Ecclesiastica cõ-  
 stituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur,  
 quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ  
 vel ostensa. Dat. Romæ apud S. Mariam Maior-  
 em, sub annulo Piscatoris die 15. Sept. 1660.  
 Pontif. nostri anno 6. S. Vgolinus.*

229. Simili formâ Privilegium ponit  
 R. P. Georg. Gobat è Societ. Iesu, & mem-  
 bratim singulas illius Clausulas exponit in  
*Thesaurò Indulgent.* p. 2. c. 26. Et in *Alphabeto  
 Sacrificant. casu* 19. n. 321. & seqq. Theologi-  
 cis verò Resolutionibus quamplurimis  
 hanc materiam illustrat Dian. p. 9. tr. 2.  
 Delibabo hic ea tantùm, quæ intento no-  
 stro magis deseruiunt.

Privilegium hoc mixtum est, partim  
*Personale*, partim *reale*, ratione *loci*, *temporis*  
 & *operis*. Designatur 1. *locus Vniuersalis*, ni-  
 mirum Ecclesia quæcunque FF. Min. S.  
 Francisci Capucinorum Prouinciz Helue-

CCXXIX.  
 Declara-  
 tur.

tiæ, dummodò in qualibet earum septem Missæ  
 quotidie celebrentur. Hic iam primum scrupulum  
 nonnulli mouent, num Particula  
 Dummodò, modum an conditionem essen-  
 tialem importet? Sed nihil interest, siue  
 modum enim, siue conditionem faciat, semper  
 requiritur, quòd adimpleantur ea, quibus  
 ista dictio adiungitur; aliàs si non inter-  
 uenerint, actus corrui, nec consequitur  
 effectum. Barbos. de Diction. tit. 95. n. 8. Se-  
 quitur igitur considerandum, quam neces-  
 sitatem exigat, quod dicitur, *vt in Ecclesia  
 zali, quotidie celebrentur septem Missæ.* Scien-  
 dum igitur ex Felin. in Proæm. Decret. verb.  
 Quotidie. Dictionem hanc Quotidie, & simi-  
 les alias, puta *semper, sine intermissione, inde-  
 clinabiliter, inpratermissè, continue, &c.* intel-  
 ligendas esse ciuilitè, ita vt *quotidie* fieri di-  
 catur, quod fit absque interuallo interposito.  
*Continue* quod fit horis & temporibus  
 competentibus. Vnde priuilegium concessum  
 illis de comitatu, qui per decem annos  
*continue* habitauerint in ciuitate, intelligitur,  
 etiamsi habitantes ciuitatem, tempore  
 messium & vindemiarum iuerint in comi-  
 tatum cum familia, ad faciendum recolle-  
 ctas, quia ex quo reuersi sunt ad ciuitatem,  
 dicuntur *continue* habitasse. Barbos. de Di-  
 ction. tit. 68. n. 3. vbi subdit, *continue* dici  
 quem

quem habitasse, licet ex iusta causa fuerit absens, puta pestis vel infirmitatis. Et obligatum ad continuam residentiam, intelligi obligatum horis congruis, & saluâ necessitate vel infirmitate. Demùm etiam remittit arbitrio Iudicis, quando dicatur aliquid continuè esse factum. Quod igitur in Breui nostro præscribitur, vt quotidie seu singulis diebus durante septennio, pro quo Priuilegium datur, dicantur septem Missæ, intellige saluâ necessitate vel infirmitate, aut aliâ iustâ causâ interueniente, ob quam quandoque tot Missas vno die fieri non contingat. Vnde cum Barbos. cit. n. 4. dicat, *viuem, qui continuo tenetur habitare, implere, si habitet etiam per tres menses in rure singulis annis: teneri similiter poterit Priuilegium, de quo nunc sermo est, saluum persistere, quantumuis contingat tempore, quo Capitula nostra celebrantur, & fratres in diuersas familias mutati in itinere sunt, vno vel altero etiam mense, præfixus Missarum numerus non feruetur. Hoc nobis indicauit M. R. N. P. Procurator Ordinis, qui cum Breue illud destinaret, ita subiunxit: Recipiet hic Breue Altaris Priuilegiati, pro cunctis nostris illius Prouincie Ecclesijs, in quibus pro tempore celebrantur septem Missæ, aut saltem septem in illis ponantur Sacerdotes, qui communiter ibi celebrent.*

CCXXX.  
Quoad locum.  
sum.

230. Præter locum vniuersalem, nominatur etiam particularis, scilicet *Altare maius*, simili ad præsens priuilegio minimè decoratum. Nomine *Altaris*, intellige totam mensam, in qua integrum Sacrificiolum fit. Tambur. *de Iure Abb. to. 1. disp. 23. q. 4.* Oportet autè, vt sit *Maius seu primarium*, quod apud nos respondet oratorio; deinde vt simili, ad præsens, priuilegio minimè decoratum fit. Vtù pereat Indulgentia destructo vel violato altari aut Ecclesiâ, & c. videatur Azor. p. 2. *Institu. l. 9. c. 3. q. 13. vers. Idem Iuris est.* Et P. Gobat in *Thesau. q. 78. n. 542. in Alfab. n. 335.* In priori tr. n. 529. refert rescriptum cuiusdam D. Nuncij Apostolici, qui circa alteram Altaris priuilegiati conditionem respondit: *Posse in eadem Ecclesia præter vnum Altare priuilegiatum pro animabus generari, esse plura alia, pro animabus e varijs Confraternitatibus defunctorum.* Cuius ratio esse potest, quia pontifex hoc solù intendit, nè (vt in nostro Breui dicitur) duo altaria sint in vna Ecclesia Priuilegij similis vel eiusdem rationis. Id enim etiam importat Dictione, *alius vel aliud*: quasi in vnum ambo vocabula coniungendo diceretur, vbi aliud simile Altare non existit. Dissimilia verò valde sunt, priuilegium datum generatim pro animabus quibuscunque, & priuilegium pro animabus certæ alicuius Confrater-

fraternitatis, vel ordinis. Hinc verò à contrario colligo, cum ex hac parte ambo supra relata Priuilegia Pauli 5. & moderni SS. D. N. Alexandri 7. eadem ratione data sint *pro animabus quibuscunque &c.* In Ecclesijs nostris, quibus Superiores nostri Paulinum assignarunt; alterum, locum non habere, licet in omnibus non conueniant, cum simile dicatur etiam id, quod etsi in aliquo differentiam habeat, in pluribus tamen tenet conuenientiam. *Ve ex Baldo tradit Barbos, de Diction. tit. 367. n. 4.*

231. Tempus itidem conceditur duplex i. *Vniuersale* siue septem annorum, quos Diana cit. Res. ii. ex *Quintad.* docet debere esse continuatos non interpolatos; morales aut Ecclesiasticos, non solares seu naturales; incipiendo à die, non concessionis seu impetratæ gratiæ, sed publicationis ipsius in singulis locis, ad diem illi correspondentem in septimo anno. Sicut si Rex absolutè alicui concederet, vt per septem annos *Ve-*  
*ctigalium* onere eximeretur, annorum verò illorum initium non determinaret aut limitaret, ex quo Priuilegiatus eligere posset septem annos, quos veller. Tempus *particulare* definitur, in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & singulis diebus *infra* illius *Octauam.* ac *seriâ secundâ* cuiuslibet



bet hebdomada. His diebus, quia septuaginta festi occurrunt duplicia, Franciscus de Nigro, relatus à Dian. Res. 29. docet Missas votivas posse dici in festo duplici, quia Rubrica Missalis directiua est, vnde infert à Religiosis Mendicantibus posse dici Missas votivas, sicut & Missas de Requiem, in quocunque die vetito, modò non sit festi Domini Sabaoth, & sic ait fuisse decisum in Collegio Ianuensi PP. Minim. An. 1634.

CCXXXII.

Opus iniunctum.

232. Opus iniunctum, est Missa Defunctorum, siue Requiem. Videtur apponi Missa talis generis pro forma, quã non seruata nihil fit, secundum vulgata Iura & plures declarationes S. Congreg. Rituum. Dian. Res. 8. Habent Altaria primaria apud Societ. Iesu, Priuilegium, vt etiam seculares Sacerdotes possint liberare animam à purgatorio, & non sit necesse facere sacrum de Requiem, sed solum commemorationem pro defunctis, siue Collectam, vt ait P. Gobat. in Alphab. Sacrif. n. 328. cuius communicationem tamen alijs Regularibus negat competere, quod ex instituto discutietur V. Priuilegium.

CCXXXIII.

Celebrandum.

233. Ex parte Personæ requiritur, vt Missam illam dicat Sacerdos aliquis dictarum Ecclesiarum duntaxat, Ista particula, duntaxat,

xat,

Seal, etsi taxatiua sit & restrictiua, vt concludat negationem in aliis. *Barbos. de Diction. tit. 97.* Isto tamen beneficio priuatos asserere neutiquam ausim fratres nostros aduenas, qui cum ad alienos Conuentus diuertunt, pari subiectionis onere cum ceteris eorum locorum incolis, communi apud nos consuetudine, eorundem subduntur Superioribus. Cum igitur in odiosis, cur non & in fauorabili huiusmodi aduenam talis Ecclesie Sacerdotem dicamus? In eadem Persona requiritur secundo, vt intentionem suam dirigat in determinatam aliquam animam; quod indicant illa verba *Breuis: pro anima, &c. & anima ipsa Indulgentiam consequatur.* Et ratio est, quia suffragia, quantum ad satisfactionem & liberationem à pœnis, illis tantum profunt, quibus applicantur à cōcedente. *Sylui. in suppl. 3. p. q. 71. a. 2. con. 6. Sa. V. Indulgentia. dicens communem esse sententiam; communia suffragia omnibus, particularia prodesse illis, quibus applicantur.* Non malè tamen fecerit Celebrans, conditionatè pluribus applicans, vt si vni non proficit, proficit alteri.

234. Ad Indulgentias spectat etiam Priuilegium Vrban. s. *relatum in Comp. V. Indulgentia quoad Secul. 4. §. 6.* per quod Generalis, & Prouincialis totius Ordinis Minor.

CCXXX.  
IV.  
Littere  
Filiatio-  
nis.

Z

nor.

nor. possunt communicare suffragia, Indulgentias, orationes & bona spiritualia Benefactoribus Ordinis. Quo privilegio ipsi Benefactores fiunt participes bonorum Ordinis, imprimis quoad vim meritoriam ipsorum, hoc est, ad habendum à Deo gratiam conversionis, cordis illuminationem, & virtutum profectum. Item præseruationem à peccatis, & liberationem ac præseruationem à morte, & aliis malis spiritualibus & corporalibus, & collationem bonorum spiritualium & temporalium seu corporalium, quæ vnus potest alteri de congruo mereri seu impetrare ex Dei misericordia, sicut per merita Abrahæ Deus liberavit Loth *Gen. 19.* Et pro animabus habentium litteras Fraternitatis possunt fratres illius Conuentus, cuius sunt Benefactores, celebrare vnã Missam, quæ eos liberet à pœnis purgatorij, vt supra dictum. Possunt etiam recipi quoad vim satisfactoriam, sed id debet explicari expressè, & non potest fieri sine voluntate operantium, saltẽ quoad illa, quæ facit subditus in particulari, ea applicando sibi, vel aliis in remissionem peccatorũ. Alia verò opera satisfactoria, quæ facit etiã particulariter absq; speciali satisfactione, sed pro tota Ecclesia generaliter, aut pro indigentibus in Purgatorio, aut in

hac

hac vita pro Benefactoribus, seu pro his, quibus Deus vult valere, & huiusmodi. Ac similiter bona, quæ facit in communi, vt disciplinas, ieiunia, orationes, vigiliæ, & huiusmodi, quæ in communitate facit cum aliis Religiosis simul, seu per se ex statuto Regulæ aut Constitutionum, aut ex præcepto Prælati, cum hæc bona sint communia Religioni, quamuis subditus iis egeat, potest Prælati eo inuito & inscio, aliis specialiter communicare, etiam quoad vim satisfactoriam, quia super bonis Communitatis videtur Prælati habere plenariam potestatem, & similiter super bonis particularibus vel superabundantibus, vel nemini applicatis.

235. Virtute eiusdem Priuilegij possunt dicti Prælati communicare suis Benefactoribus Indulgentias omnes ipsi Regularibus concessas, vniendo & aggregando eos cum suis Religiosis, quod quemadmodum Religiosi dictas Indulgentias consequuntur faciendo opus à Papa præscriptum, ita & illi Benefactores easdem lucentur, si illud fecerint. *Lezan. V. Indulgentia. n. 15. Peyr. 20. 2. de Pralato. q. 3. c. 6. num. 9.* Quæ magna profectò concessio est, vt ibi ait, qui etiam addit id fieri posse applicando fructum dictarum Indulgentiarum, eo modo

Z 2

quo

CCXXX.

V.

Communi-  
nicatio  
Indulgentiarum.

quo applicantur Defunctis. Et quòd hoc possint Prælati locales talem participationem concedere pro suo Conuentu; Prouincialis pro sua Prouincia; Generalis pro tota Religione, cum omnes isti sint capita Communitatis, habeantq; dominium super actiones suorum subditorum, non minus quàm bonorum temporalium, vt ea ex charitate aliis communicent.

CCXXX-

VI.

Benefa-  
tores qui  
dicuntur?

236. Quia talis communicatio, seu receptio ad participationem Congregationis, & huiusmodi, fit à Prælatiis informatiis de talibus, quòd sint Benefactores, & idcirco recipiantur in communicationem bonorù Ordinis, vt patet ex ipsis litteris Confraternitatis seu filiationis. Idèd notetur, quòd si talis causa propter quam recipiuntur, non esset vera, quia scilicet non esset talis Benefactor, vt ibi supponitur, non valeret ei talis receptio ad participationem, nisi secundùm ratam, videlicet secundùm quòd fuerit Benefactor, quia deficiente causâ finali seu conditione concessionis, deficit ipsa concessio, & non valet, nisi quantum accesserit ad causam talis concessionis. Oportet verò etiam hîc aduerti, varios esse Benefactores Ordinum, alij enim benefaciunt opibus & eleemosynis suis Religiosorum paupertatem sustentando: alij eis benefa-

ciunt

ciunt ab iniurijs defendendo, à calumnijs liberando, de eis benè semper loquendo, reuerentiam illis exhibendo: Alij eorum jura tuentur & sustentant in iudicio, vt Doctores, Procuratores, Sollicitatores, Advocati: Alij benefaciunt illis in eorum fauorem exercendo suam artem vel scientiam, vt Medici, Chirurghi, Notarij, &c. Quin etiam famuli & ancillæ, dum seruitio Religiosorum ex mandato suorum Dominorum occupantur, &c. Isti omnes possunt ad participationem admitti. Quod si postquam admissi sunt, cessant à prædictis beneficentijs impendendis, cessat etiam in illis participationum effectus. Si tamen, qui opibus paupertatem Religiosorum subleuabat, ad paupertatem redactus, benè saltem de illis loquatur, non desinit participare de dictis bonis. Verum quidem est, quòd si Prælatus velit aliquem nõ Benefactorem ex mera charitate ad participationem admittere, tunc bene valebit ei talis communicatio secundùm intentionem ei sua bona communicantis, quoad vim satisfactoriam & meritoriam, & etiam secundùm dispositionem participantis, speciatim quoad vim meritoriam. Vt post alios docent R. P. Sorbo in *Comp. Priu. Mend. ad V. Indulgentia.* & Peyr. *vbi supra.*

Zj

Ds

De Indulgentiis vide insuper V. Officium Di-  
uinum. V. Privilegium. V. Visitor.

## IRREGVLARITAS.

237. Quid sit Irregularitas. 238. Quomodo  
incurratur. 239. Incurrisse cogno-  
scatur.
240. Irregularitatis effectus primus.
241. Irregularis potest ea, quæ licent Laicis.
242. Tenetur ad recitandum Horas Cano-  
nicas.
243. Nequit Ordines recipere vel exercere.
244. Irregularitatis effectus secundus.
245. An validè possit Irregularis administra-  
re Sacramentum Pœnitentiæ.
246. Irregularitas duplex, ex Defectu culpa-  
bili & inculpabili.
247. Ex Defectu perfectæ lenitatis. 248. In  
multis casibus non incurritur. 249.  
Incurrunt eam milites.
250. Irregularitas ex Delicto.
251. Irregularitas tollitur tribus modis. 252.  
Dispensatione. 253. Baptismo. 254.  
Professione Religiosâ.
255. Dispensat ordinariè solus Papa.
256. Potestas dispensandi Episcoporum. 257.  
In homicidio. 258. Defectu perfectæ  
lenitatis.